



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Meditatio IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)



## MEDITATIO IV.

## De eodem Myſterio.

## §. I.

## Nudatur.

**H**AËtenus verba & minæ. Clemens hucus-  
 que fuit Judæus, mitis Romanus: dum cru-  
 delitati famulata fuit ſola lingua. Quidquid au-  
 ditum eſt hætenus, non fuit niſi orationis pro-  
 cæmium: quidquid ſpectatum, fuit tantum cer-  
 taminis ſimulacrum: quidquid factum, fuit tan-  
 tum tragædiæ præludium. Jam non ſunt minæ,  
 jam mappa projicitur ad curriculum, jam ſi-  
 gnum datur ad præludium: jam res magna ge-  
 ritur intus in Prætorio Pilati. Priuſquam tamen  
 producam in ſanguinariam barbaræ crudelita-  
 tis arenam, Filium Dei, qui etiam flagellatus re-  
 ferret coronam, quia ibi ſpectaculum factus eſt  
 mundo, & Angelis, & hominibus: teſtes hujus  
 ſpectaculi cito mundum, Angelos, homines.  
 Mundum, quia cum *mundus per ipſum factus eſt*: Ioan. I. 10  
*mundus eum non cognovit*: nunc autem cognoscit,  
 & agnoſcit cum Samaritanis illis: quia *hic eſt ve-* Ioan. 4.  
*rè Salvator mundi*. Eſt etiam *Agnus, qui tollit pec-* 42.  
*cata mundi*. Vos Angeli, adeſte, in vobis enim Ioan. 1. 29  
 jam debet impleri illud de vobis vaticinium:  
*Angeli pacis amarè ſlebant*. Siſtite & vos præ cate- Iſa. 33. 7.  
 ris hîc, ô Homines, ut intelligatis quia *verè Deus* 1. Tim. 2.  
*homines vult ſalvos fieri*. Coram tot, tantisque & 4.  
 teſtibus & ſpectatoribus, plenus ingenti pavo-  
 re,



Coloss. 1.  
26.

re, aggredior mysterium, plenum immenso amore, quod absconditum fuit à seculis & generationibus.

Hucusque Synagoga velut umbratili tantum certamine præluserat ad decretoriam crudelitatis cum Christi charitate pugnam: jam disposita velut acie canit classicum, evocatque selectissimam Romanorum legionem; expertura, plusne posset pœnarum perferre Christi charitas, quàm inferre licitorum crudelitas. Trahitur in Prætorium Filius Dei, pro illis ipsis sanguinem fulurus, à quibus erat effundendus. Imperant abjecti terræ filii cœlorum Regi, ut exuat vestimenta, quorum vel fimbriam tetigisse salus erat tangentium. Paret Rex regum mandatis carnificum; & partim se ipse sponte exiit, partim ab aliis ad pœnam festinantibus exiitur. O Pater æterne! ecce Filius tuus *descendens ab Ierusalem in Iericho incidit in latrones, qui despoliaverunt eum*. Nudus est. Tu per Prophetam tuum præcepisti: *Cùm videris nudum, operi eum*. Vides nudum: cur non operis eum? vix prodierat in conspectum patris seminudus filius ille prodigus; & ecce pater, cùm adhuc longè esset, accurrens, dixit ad servos suos: *Citò proferte stolam primam, & induite eum*. Ecce prodigum in amando Filium tuum; nudus est: cur non dicis ad servos tuos, ad spiritus illos tuos administratores: *Citò proferte stolam primam, & induite eum?* Proferte, ô Angeli, illud vestimentum, in quo scriptum est: *Rex regum, & Dominus dominantium*. Sed dum ego sollicitus sum ut Christum nudum operiam, video dilectum totum jam candidum, & rubicundum, quia non minus graviter functus est suo munere hinc in atrio Pilati, Pudor; quàm

Luc. 10.

30.

Isa. 58.7

Luc. 15.

22.

Apoc. 19.

8.



quàm in horto Getsemani, Timor. Omnem enim sanguinem, quem timor contraxerat ad cor, pudor inde evocavit ad extimas corporis partes: quasi jam ultrò se offerret sacratissimus ille sanguis, ut egrederetur. O peccator! quid huic aditas spectaculo, indutus bysso & purpurâ, sed nudus gratiâ! de vestimento quid sollicitus es? Quid, inquam, tam sollicitus es pro corpore, dicens: *Quo operiemur?* Nunquid brevi *subter te sternetur tineæ, & operimentum tuum erunt vermes?* Tu, qui nudus egressus es ex utero matris, nudus reverteris illic. Tunc exuet paludamentum Imperator, trabeam Rex, purpuram Satrapa, sagum miles, togam senator, pallium Philosophus. Omnes enim ante tribunal nudi Jesu pares stabimus, id est, nudi. Exuere ergo vestimentis gloriæ tuæ, & indue saccum & cilicium, reus venturus ad thronum Justitiæ. Pone hic ante pedes nudi Jesu omnia excusationum integumenta; pone velamina fraudum, fallaciarum pallia, æquivocationum diploides, hoc est, duplices amictus, ne pro confessione, quam paras, *induaris sicut diploide confusione: uâ.* Hisce me omnibus exuam, & obtemperabo servo tuo Paulo adhortanti: *Induimini Iesum Christum, ut sic tectâ jam nuditate meâ, Cùm mortale hoc induerit immortalitatem, audiat anima jam corpore exuta, à Patre tuo: Induere vestimentis gloriæ tuæ.*

Nudi  
omnes  
post  
mortem?  
Matth. 6,  
31.  
Isa. 14. 21

Pf. 108.

29.

Rom. 13.

14.

1. Cor. 15.

39.

Isa. 52. 1.



## §. II.

## Ligatur.

- Matt. 22. 13.** Jam pridem tulerat è suo tribunali illam in hominem reum sententiam, Dei Justitia: *Ligatus manibus ac pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Hæc vincula ut solveret Christus, sinit sibi ligari manus ac pedes. Offert ergo amabilis Jesus vincendas illas manus, quarum vel una *appendit tribus digitis molem terra.* Illi furore rabidi manus benignè oblatas arctè ligant, & tam arctè, ut prius sanguinem eliciant vincula, quàm flagella. Sed qui eum ligavit, non fuit tortor, sed Amor. Amor, qui illum novem mensibus in utero Matris religavit. *columnæ alligavit;* Amor, qui illum *inclinavit in præsepio,* inclinavit ad columnam: Amor, qui *pannis eum involvit,* funibus constrinxit. O quale spectaculum pro cælo & terra, videre eum, qui in principio creavit cælum & terram, in medio terræ ad columnam nudum, & vinctum, & ad flagella pronum, tanquam omnium quæ commissa sunt, & committentur, scelerum reum!
- Apoc. 8. 8** Credo hîc, ut scribit in Apocalypsi Joannes, factum fuisse silentium in cælo quasi mediâ horâ, cum perageretur hæc scena, & omnes novem Angelorum choros ad tantæ rei insolentiam è cælo descendisse; & oculos convertisse, nunc ad æternum Patrem, expectantes ejus imperium, ut totum genus humanum funditus delegerent; nunc ad homines, ut viderent, num quis tam projectæ esset audaciæ, tam effrænis impuden-



dentia, qui auderet extendere manum suam in Christum Domini, nunc in ipsum Christum, ut observarent, quid esset facturus, per quem facta sunt omnia. Sed Jesus, non jam Deus exercituum, sed Deus Pacis, in silentio cordis cogitabat cogitationes pacis. Tunc mens illa magna, in afflictione illa maxima, cogitabat de me, & pro salute mea offerebat Patri sanguinem suum. O quis hæc cogitans, non deficiat præ amore! Christus, cui tam immane imminebat supplicium, de me victus cogitabat, ut me irato Patri conciliaret, ut me ægrum sanaret, ut me captivum solveret, ut me reum absolveret, ut me perditum redimeret; Tanta illa Majestas cogitabat de abjecto terræ vermiculo; tanta potentia de infirmo; tanta misericordia de misero; tanta sapientia de stulto; tanta bonitas de impio, perduelli, sacrilego. Et tu quid umquam cogitasti, vel egisti in gratiam Christi qui nihil non egit in gratiam tui? Profectò necesse est, ut sit causa immensi ponderis, ut omnipotens vincatur quasi reus, puniatur innocens, confundatur Majestas, deformetur gloria, vapulet virtus, flagelletur Deus. Heu me miserum! quò me vertam? ad quem me convertam? Filius Dei me avertatur, Pater æternus mihi dirè minatur, conscientia accusat, peccata sunt plurima, supplicia maxima, dæmones feroces, pœnitentia nulla, mors propinqua, tempus breve, ingratitude magna, justum judicium, culpæ manifestæ, comminationes severæ; Deus fortis, & potens, ego debilis, & nocens. Si cui lubet cognoscere penitus gravitatem peccati, non opus est ascendat cœlos, ibique proponat sibi ob unicum delictum solâ cogitatione & voluntate commissum, tot Angelorum myriades cœlo proscriptas; non sibi

Peccati  
gravitas  
cogno-  
scitur ex  
Christi  
passione

R

obji-



objiciat, ob peccata, cœlorum cataraçtas aper-  
tas, & ruptos fontes abyssi magnæ, totumq; ge-  
nus humanum fluctibus haustum; non opus est  
cogitet Pentapolim sulphure, & pice, ac igneo  
nimbo fumantem, non opus est descendat ad in-  
feros, ibique lustrer sæva & dira supplicia, qui-  
bus reprobi cruciantur: sed si ignoret gravitatem  
peccati, ingrediatur Prætorium Pilati, spectet ad  
columnam Deam nudum, vinctum, cæsum. Ex  
medicina cognoscat gravitatem morbi, ex pre-  
tio intelliget enormitatem debiti, ex immanita-  
te pœnæ assequetur atrocitatem culpæ. nunc er-  
gò ne despondeas animos: non enim venit Jesus  
perdere, sed salvare animas. O Pater, averte ocu-  
los à columna, ne videat hominis crudelitatem;  
converte ad Filium hominis, imò tuum, ut intel-  
ligant ejus charitatem: dum enim Filius tuus,  
frater meus, stat nudus, ut operiat nos nudos,  
vinctus, ut solvat nos vinctos; expectans flagel-  
la, ut avertat flagella tuæ iracundiæ: tanta miseri-  
cordia, tanta pietas, tanta charitas Redemptoris  
quid aliud clamant, quàm *Nolo mortem impij, &  
peccatoris.*

*Ezech. 18.*

§. III.

*Flagellatur.*

**I**ngredimur arenam non indecoro sanguine  
sordidam, in qua sordes eluit omnium pecca-  
torum, qui peccatum non fecit, Christus Jesus.  
Hoc est mysterium, quod deberet vel auditum,  
vel lectum, vel cogitatum non elicere lacrymas,  
non exprimere sudorem, sed ex omnibus venis  
extorquere sanguinem.

Ad-



Aderat tandem momentum, quo Pater, qui mundum sic dilexit, ut Filium suum unigenitum daret, eundem pro mundi redemptione flagellaret. Ad hoc uti voluit Romanis militibus. Adfuerunt illi veloces ad effundendum sanguinem, utpotè viri sanguinum. Expediunt nodosos funes, aculeatas spinas, uncinatas catenas. Aspicit benigno oculo feralem istum furoris apparatus, & crudelitatis pompam, promptior verbera excipere, quàm lictores infligere. Ille ipse qui cædebatur, viros illis, ut cæderent, suppeditabat. Ad hoc supplicii spectaculum è cœlis convenère geminæ sorores, quas inter lis acerbissima fuerat, jam indè à mundi nascentis incunabilis usque ad diem illum, de homine vel perdendo, vel redimendo, hinc Justitia, indè Misericordia, & utriusque arbiter æternus Pater. Ut autem & salvaretur homo, & placaretur ab homine offensus Deus, ab eo dependebat, qui erat Homo-Deus. Volebat quidem salvari hominem Justitia, sed ut salvaretur, exigebat à Salvatore novissimum quadrantem. Misericordia plus misera miseri peccatoris, quàm illius, qui venerat peccatores salvos facere: satisfacete eum Justitiæ quidem volebat, sed ita ut cum sit Verbum Patris, & verbo redimere sit potens, non tam potenter tormenta patiatur: sed Justitia cupida lavare manus suas in sanguine peccatoris, volebat effundi ejus sanguinem, ut & peccatores lavarent stolas suas in sanguine Agni. Jesus autem justus & misericors ut justitiam placaret, conversus ad misericordiam: *Sine modo, inquit, sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Tunc, ut impleretur quod præceperat Justitia, & permittebat Misericordia, ministri justitiæ impetum fecerunt unanimiter

Matt. 3.

150



Heb. 9.  
21.

Pf. 38. 4.

Gen. 6. 7.  
2. Cor. 5.  
19.

Luc. 15.

in eum. Cæditur ergò validis lacertis, & jam caro livida intumuerat, & propè sanguis stillabat. Interim movebantur vitæra Misericordiæ, unde clamabat ad sororem: Parce, parce: quæ enim utilitas in sanguine Justi? Contra clamabat Justitia: Plecte, plecte; sine sanguinis effusione non fit remissio. Jam dilectus æterni Patris, electus è millibus tria acceperat ictuum millia, nec adhuc placabatur Justitia: quia enim magna erat, quæ volebat remittere, copia scelerum, volebat ut copiosa esset redemptio sceleratorum. Annuebat Justitiæ Redemptor, & qui facit misericordiam in millibus, ad multa adhuc millia verberum offert corpus, ut quia omnis caro corruperat viam suam, sic cæderetur, ut posset dicere cum Propheta: *Non est sanitas in carne mea.* Non erat jam sanitas in carne, erat tamen charitas in corde: & propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, etiam pro nobis humiliatus est nimis, dum qui erat primus in cœlis, factus est novissimus virorù in terris. Jam penè ô Pater, Filium tuum morte delevit homo, cur non modò, ut olim, minaris: *Delebo hominem, quem creavi, à facie terra.* Causam accipite ex Paulo: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Antea Deus erat in cœlo, hoc est, in Justitiæ throno: indè tonabat, fulminabat, pluebat flammam, & sulphur, aperiebat cataraças cœlorum: unum illi erat negotium, cædere, fure, sævire, ferocire, nulli parcere. Sed nunc Deus est in Christo, hoc est, in illo, qui venerat non perdere, sed salvare animas: in Christo, hoc est, in illo, qui peccatores recipit. Erat in Christo, hoc est, in Agno qui tollit peccata mundi. Erat in Christo ad columnam nudo, victo, flagellato. Erat in Christo, ergo & in venis, & in sanguine Christi.



sti. Sanguis ejus extinguebat fulmina Patris, ignem justitiæ, ardorem ejus iracundiæ. Quid mirum si Deus tunc non sæviret ut leo, cum esset in Agno? Deus erat in Christo; ergo in misericordiæ throno. Sed dum Christus, & in Christo Deus; totus jam lacer, lividus, cruentus, spectat suum in terra tam copiosè profusum sanguinem, audio mœstam, flebilem, & querulam ejus vocem: *Quæ utilitas in sanguine meo?* Vox illa fuit quondam David, sed eadem nunc est & Jesu filii David. Hic sanguis sufficiebat, ut homines non tantùm multi, sed omnes salvarentur: & tamen salvandorum pusillus est grex: pauci quoque electi, multi verò qui intrant per viam latam & spatiosam, quæ ducit ad interitum. *Quæ utilitas in sanguine meo!* Meus sanguis fusus est, ut tu esses humilis, & es superbus; ut esses castus, & es impudicus; ut esses pius, & es sacrilegus; ut esses fidelis, & es perfidus. *Omnes declinaverunt simul, & inutiles facti sunt.* *Quæ utilitas in sanguine meo?* An propter hunc meum sanguinem pro te ex omnibus venis profusum, stillavit unquam vel una ex oculis lacryma? ascendit vel unus e corde gemitus? percussum est vel semel manibus pectus? an vel semel ideò à peccato ullo abstinuisti? quapropter *quæ utilitas in sanguine meo?* Seminat agricola? metit, & quidem cū fœnore fructus. Colit vineam vinitor? recipit uvas. Ego seminavi in agro semen bonum, & non reperio nisi tribulos, & spinas, & zizania. Ego plantavi vineam electam, & expectavi ut proferret uvas, & protulit labruscas. *Quæ utilitas in sanguine meo?* Nulla utilitas ex tot lacrymis, sudore, sanguine; nulla ex tot vulneribus, plagis, flagellis; nulla ex tanta humilitate, patientia, mansuetudine, paupertate. O quis hîc nō stupeat simul,

Ps. 29. 10

Sanguinis Christi exiguus fructus.

Ps. 13. 33



Ps. 13, 3.

& doleat, illum sanguinem nostræ salutis pignus etiam conculcari ab hominibus: Deberent post fustum illum sanguinem omnes amare Christum, ut ipsi Seraphini in cœlis Deum: qui jam peccaret, non deberet ex toto hominum genere reperiri vel unus; & tamen. ecce, qui faciat bonum non est usque ad unum. Quis non miretur tot hominū perditionem post tam copiosam redemptionē? O Christe, ostendisti hodie in medio terræ, te non tantum esse misericordem, non tantum misericordiarum Patrem; sed ipsam misericordiam. Ergò coram te hîc nudo, vincto, cruento, non alia ex me misero audietur vox, quàm quæ solet à miseris, *Miserere*. Quare stas illic ad columnam nudus, & ligatus? Nunquid in gratiam meî? Ergò *Miserere mei*. Quis te compulit, ut tot exciperes verbera, tot admitteres vulnera? Cur tot flagellis non tantum es cæsus, sed propè concisus? Nunquid amore meî? Ergò *Miserere mei*. Quare omnem, quem in sacratissimis venis tuis continens sanguinem, tanquam aquam effudisti? Numquid causâ salutis meæ? ergò *Miserere mei*. & quia scis magnam esse miseriam meam, *Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam*.

Ps. 50, 1.

## CAPUT VIII.

## Coronatio.

## §. I.

*Exiit Vestibus.*

**I**N hoc porrò, quod nobis hodie aperiet Synagoga, proscenio, tres insignes affectus personam suam continuè sustinebunt, Amor, Pu-  
dot,